

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

## CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

*Books of enduring scholarly value*

### Classics

From the Renaissance to the nineteenth century, Latin and Greek were compulsory subjects in almost all European universities, and most early modern scholars published their research and conducted international correspondence in Latin. Latin had continued in use in Western Europe long after the fall of the Roman empire as the lingua franca of the educated classes and of law, diplomacy, religion and university teaching. The flight of Greek scholars to the West after the fall of Constantinople in 1453 gave impetus to the study of ancient Greek literature and the Greek New Testament. Eventually, just as nineteenth-century reforms of university curricula were beginning to erode this ascendancy, developments in textual criticism and linguistic analysis, and new ways of studying ancient societies, especially archaeology, led to renewed enthusiasm for the Classics. This collection offers works of criticism, interpretation and synthesis by the outstanding scholars of the nineteenth century.

### Catulli Veronensis Liber

The title of this work literally means *The Book of Catullus of Verona* and is a careful perusal by Robinson Ellis of the oeuvre of the Roman poet, who is generally thought to have lived between 84 and 54 BCE. In this second edition of 1878, Ellis (1834–1913), whose monumental *Commentary on Catullus* is also reissued in this series, demonstrates the ancestry of the text of the poems established by Renaissance scholars from the surviving manuscript variants, supplying a text with suggested readings and emendations and a nearly complete listing of citations or references that have been made to Catullus throughout the centuries, and engaging with the work of fellow scholars Ribbeck and Westphal. Ellis offers a detailed reading of the construction of the poet's engaging verse and supports the identification of the 'Lesbia' of whom Catullus writes so glowingly and passionately with Clodia Metelli.

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection will bring back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

# Catulli Veronensis Liber

EDITED BY ROBINSON ELLIS



Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town, Singapore,  
São Paulo, Delhi, Dubai, Tokyo

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

[www.cambridge.org](http://www.cambridge.org)  
Information on this title: [www.cambridge.org/9781108012737](http://www.cambridge.org/9781108012737)

© in this compilation Cambridge University Press 2010

This edition first published 1878  
This digitally printed version 2010

ISBN 978-1-108-01273-7 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---


CATVLLI VERONENSIS LIBER

*ELLIS*

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

Londini



APVD

ALEXANDRVM MACMILLAN

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

# CATVLLI VERONENSIS LIBER

ITERVM RECOGNOVIT

*APPARATVM CRITICVM PROLEGOMENA APPENDICES*

*ADDIDIT*

R. ELLIS

COLLEGI TRINITATIS APVD OXONIENSES SOCIVS

Oxonii

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

M DCCC LXXXVIII

## PRÆFATIO.

QVOD anno demum 1878 prodit haec noua Catulli editio, cum iam quattuor ante annos postulata fuerit, multae sunt causae; sed nihil me magis impediit ad haec festinantem quam commentarii cura, quem diu ac diligenter conscriptum anno 1876 uulgauit. Is liber quanto labore mihi constiterit, non fugiet legentes, saltem si cum commentariis compararint quos ad id usque tempus contenti euoluebamus. Quaecumque enim mihi a pueritia semper in his studiis uersato, inde autem ab anno 1859 operam in Catullo praecipue ponenti, occurrebant quae lucem possent poetae offundere, haec in ordinem redigere non leuis curae fuit. Itaque nemo mirabitur me commentario detentum ad alteram curam textus recensendi tardius nec nonnisi per interualla rediisse. Etsi enim uulgatis Behrensii Analectis Catullianis (1874) Prolegomena mea iterum retractare coeperam, eaque pars huius libri cum carminibus I–XXX insequente anno impressa est, ulterius progredi religionem habui donec interpretationem carminum non absoluisset modo sed etiam publice edidissem.

Quod ego primus in editione anni 1867 feceram ut codicem Canonicianum 30 (O) integrum exhiberem, neglexit id Lucianus Muellerus, qui in praefatione editionis suae (1870) nihil sibi adfuisse dixerit instrumenti critici nisi quod Schwabii diligentia comparasset, idemque ex Germanensi Laurentiano Colbertino Datano multa, ex Canoniciano nihil excerpserit. Huius discipulus Behrensius, magistro suo nequaquam par arte metrica, sagax crisi codicum, comparatis quae in *GO* caeterisque a me exhibitis



codicibus legebantur, postquam intellexit *G* et *O*, quotiens a caeteris discreparent, mire inter se conspirare, in eam sententiam incidit ut duobus illis, utpote saeculo XIV scriptis, omnia tribueret, aliis fidem demeret, cum post annum 1400 transcripti Itolorum interpolationes experti passim uiderentur. Itaque omissis praeter *GO* omnibus Catulli carmina ex duobus his pendere arbitratus est: nimirum *O* unum solumque librum esse qui omni a parte ab interpolationis labe immunis sit: Germanensem autem fontem omnium qui post annum 1400 scripti extant. Haec Behrensius Analectis Catullianis proposuit, nec multo post iterum collatos *GO* totos exhibuit et ex his solis textum Catulli restituere conatus est. Qui quanquam gloriosius de se de me iniquius locutus est, uidit tamen quod alios fefellerat, in Catulliana crisi summam auctoritatem esse Canoniciani codicis, nec ad emendandum quenquam quidquam profecturum, nisi hunc librum diligentissime examinasset. Nam, quae est uis inueteratae consuetudinis, ne Hauptio quidem, quanquam Catullianae poesis peritissimo et omnia perscrutanti unde posset ea expolitior euadere, illud satis placere poterat, ut ab Anglo protraheretur codex qui Lachmannum fugisset, esset autem Lachmannianis sincerior. Neque ego is eram qui editum semel codicem arrogantius uenditarem: neque adeo inuento meo delectabar ut non etiam aliis codicibus pretium suum attribuerem. Quos ne nunc quidem abicio, nec si Behrensius Canoniciano primus Germanorum pretium suum posuit, idcirco non etiam idem uehementer errauit. Quod enim credidit ex Germanensi (*G*) omnes quot supersint libros manuscriptos praeter *O* profluxisse, nulli id credo persuasurus est. Atqui nisi hoc euicerit, cadit simplicitatis iactatio tanquam duobus tantum libris usus reliquorum farragine supersederit. Non hic agitur de libris saeculo IX uel X scriptis, quales sunt Lucretii duo Leidenses Lachmanniani: quanquam ne in Lucretio quidem inutilis fuit recentiorum codicum collatio. Catulli nullus liber ante annum 1370 scriptus uidetur extare: inter quem annum et 1400 scripti sunt et *G* et *O*. Atqui codex ille unde hi ducti sunt repertus est circa 1300: contra anno 1411 Bononiensis exaratus est, nec multo post hunc Laurentianus ille quem in hac editione La<sup>1</sup> signauit. Itaque si inter repertum illum principalem codicem et nostrorum antiquissimos *GO* septuaginta sunt anni, inter *GO* et Bononi-

## PRAEFATIO.

vii

ensem uiginti tantum uel triginta, non uideo cur *GO* tanquam unice sinceri habendi sint, Bononiensis cumque eo Laurentianus tanquam interpolati abiciantur. Neque enim recte illud adseuerat Behrensius doctos Italos saeculi XV corrigendi libidine omnia, dum sanant, corrupisse; codices eius temporis si forte careant interpolationibus extra Italiam exaratos: contra ante id tempus religionem fuisse quicquam inferre quod emendationis esset. Simplicior ista discretio, non uerior. Ego illud pro uirili adfirmarim: extare non paucos codices saeculi XV, praecipue inter 1400–1430, qui interpolatoris manum non experti sint: non deesse quae etiam saec. XIV interpolata uideantur: uix satis temperanter rem in lubrico sitam tractari tanquam segura sit<sup>1</sup>. Ecquis erit qui Lachmannum credat uirum ingenio acutissimum, studiis atque omni doctrina instructissimum, sententiam quam de Datano ac Santeniano tulerit, etiam post inuentos *G* et *O* ita fuisse mutaturum ut interpolatos illos, sinceros hos ex omnibus solos iudicauerit? Aut ego fallor aut ad ueram Catulli crisin libris post 1400 scriptis non erit supersedendum.

In uniuersum illud de Behrensio iudico, festinantius locutum. Velut de Datano quae edixit non modo falsa mihi uidentur, sed ita falsa ut periculo sint incaute accipientibus. Esto enim ut interpolatione non careat: concedatur id quod nequaquam demonstratum est, librarium antiquam scripturam consulto adhibuisse ut antiquitatis speciem fucatae adiceret, non ut exemplar, quod describebat, quam fidissime imitaretur: non tamen idcirco credas tot Datani lectiones aut singulares aut in Riccardiano tantum et nostro *a* simul inuentas ex mero arbitrio scribae prouenisse, siue consulto pristinam speciem reuocantis, siue quod socordia fuerit indiligentior. Dic mihi, 'ista nouas lectiones procreandi libido' ecqua tandem est? Ego multa correctata a scribis, nonnulla interpolata, pauca etiam conficta inueni: nullum noui codicem qui ut falsam induceret speciem uetustatis, non solum scriptura ueteri sed uerbis etiam in medii aevi barbariem immutatis corruptus sit. Qua quidem in re ipse se Behrensius coarguit: dicit enim saec. XV fidem demi quia uitiatum sit emendationibus doctorum;

<sup>1</sup> 'Illud secure possis adfirmare nullum illius temporis codicem (dicit saec. xv) plane carere Itolorum interpolationibus.' Behrensius, Proleg. p. xii.

atqui aliud, opinor, est emendare, aliud quaesitam barbariem inducere. Quid? Lachmannumne putabis cumque eo Hauptium Froehnerum Schwabium, tot uiros tam solertes cautos diligentes nihil huiusmodi de Datano odoratos fuisse?

Neque uero illud uerum est quod idem Behrensius dixit (Prolegom. p. xxx) post a. 1375 latuisse Catulli librum donec a. 1425 'reptus pessimeque acceptus in manus hominum' rursus uenerit (Andr. Schott. in Obseru. Human. II. 16. p. 53). Nolo in Xichone Polentono morari cuius quae ex Catulli libro citantur in Vitis Scriptorum Illustrium uix satis constat quo anno scripta fuerint: Antonio Beccadello Panormitae trita fuisse poetae carmina circa annos 1410-1415 ipse testatur in Hermaphrodito, qui liber ut est totus ab imitatore natus Catulli, ita epigrammate quodam diserte declarat lectitatum etiam a mulieribus fuisse.

Multo magis a uero abhorrent quae Behrensius protulit Prolegom. pp. xlv-li. Qui cum uideret uocabulorum qualia sunt *ocidere catulo sagittiferos saculus comendo comoda remite explicasset puelulam auelere sustolant flamati comunes uiolare* consonantes in Catulli codicibus saepe non geminari, archetypo hoc tribuit uitium: ueritus tamen ad ipsius poetae tempora id reuocare, Frontonianum nescio quem grammaticum imaginatus est, qui dum priscam orthographiam, non constanter semper seruatum in exemplaribus, archaismi studio abreptus uult reducere, complures formas atque adeo uocabula et coniecturas carminibus intulerit quae ab ipso poeta alienae essent. Hoc enim demonstrare locos ex Catullo citatos si inter se comparentur quomodo ante Gellium et post hunc scripti sint: emendatius enim tradi quam in Catulli codicibus quae ante Gellium citentur, contra quae post hunc isdem uitii laborare quibus Catulliani codices. Hoc ut demonstraret scriptores percensuit hosce.

1. Catal. III. 6 *Gener socerque perdidistis omnia*, ubi quod habet *Gener socerque*, non ut Catulli codices *Socer generque*, id uerum esse sequi ex Mart. IX. 70. 3, Minuc. Octau. 18. 6, Anth. L. I. 462 R.

2. Festus (h. e. Verrius Flaccus, unde sua Festus excerpit) habet *supernata* XVII. 19, *molli rabidus* LXIII. 38, *ploxeni* XCVII. 6 pro corruptis Catullianorum MSS. *superata*, *mollis rabidus*, *ploxomo* uel *ploxonio*.

3. Senecae patris LIII. 5 *salaputtium* pro eo quod habent Catulliani MSS. *salapantium*.

4. Caesii Bassi (quo, uelut ad communem metricorum fontem, omnia Behrensium reuocat quae in his reperiuntur), LII. 2 *struma* (*scrofa* Mar. Victorinus) *Nonius*, LXIII. 1 *Attis celeri*, LXIV. 1 *Peliaco* pro Catullianorum MSS. *Nouius*, *Actis celere*, *Pelliaco*.

5. Plini maioris apud Charisium, XXXV. 12 *impotente amore* pro corrupto Catullianorum MSS. *impotentem amorem*.

6. Quintiliani, LXII. 45 *dum innupta manet dum cara suis est* pro eo quod habent plerique Catulli MSS. *dum intacta manet tum cara sui sed*: XCIII. 2 *albus an ater* pro corrupto *saluus an alter*: XCVII. 6 *ploxeni*.

7. Plini iunioris, XVI. 7. 8 *Qui tunc . . . si sunt*, pro *Qui tum . . . si sint*.

8. Capri apud Priscianum, XXXVII. 17, 18 *Celtiberosae Celtiberiae* pro Catullianorum MSS. *Cuniculosae Celtiberiae*.

Age, examinentur haec.

1. Romanos gener socerque potius quam socer generque dixisse ex aliis etiam liquet locis quos Behrensium non attulit e. g. Luc. I. 118, Flor. IV. 2. 13. Neque ideo tamen relinquendus est ordo quem tradunt Catulli codices. Nam in omni carmine XXIX primum locum Caesar obtinet, 11 *imperator unice* 12 *Fuisti* 13 *Vt ista uostra* h. e. qua tu et Pompeius utimini 21 *fouetis* h. e. tu et Pompeius; post quae recte infertur *Socer generque*. Sed et Vergilius eundem sequitur ordinem Aen. VI. 830. (Munro, *Elucidations and Criticisms* p. 112.)

2. Incertissimum est quid in LIII. 5 Catullus scripserit. Sed ut concesserim recte *salaputtium* in Senecae libris scriptum tradi, corrupte *salapantium* quod uidetur habuisse fons Catullianorum codicum, non ideo sequitur *salapantium* ad Gelliana tempora reuocandum esse, *salaputtium* ad ea quae ante Gellium fuerunt.

3. (a) Metricos 'ex Caesio Basso omnes sua hausisse' nec Lachmannus putauit neque ullo modo pro certo potest haberi, cum libri de metris quem Victorinus Basso tribuit aut nulla iam pars aut manca tantum extet. (O. Hense de Iuba Artigrapho p. 64 sqq.)

(b) Si ex Basso metrici sua sumpserunt, unde factum est ut in Cat. LII. 2 *scrofa* ter Victorinus, *struma* Atilius Fortunatianus cum

Plinio ac Boetio scripserit? Certe eundem uersum ex eodem sumptum Caesio, debuerant isdem uerbis citare. An Victorino potius credendum est, cum is aliter locum tradiderit ac Catulliani codices? Hi enim omnes habent *struma*.

6. Cur ex Quintilianeis unam partem Behrensius amplexus est, cetera reiecit? Quintilianus enim legit *dum innupta manet dum*, Behrensius ex Catulli codicibus *dum intacta manet dum*; solum *tum* reiecit. Nimirum Quintilianus recte dum seruauit, cetera memoria lapsus errauit. Quod quid est aliud quam fidem demere Quintiliano, codicibus addere Catulli? Atque ipsum illud dum legitur in Bononiensi, ut in principali Veronensis codice esse potuerit.

7. Vnde Behrensius pronuntiat Plinium *Qui tunc* prae et memoria lapsus, *Si sunt* recte scripsisse? Si in priore uersu errauit, cur in altero solus audiendus est? Manifestum est duplici modo uersus traditos fuisse: *Si sunt . . . possunt*, *Si sint . . . possint*, hinc ortam quod habent Catulli codices *Si sint . . . possunt*. Et potest quidem uerum esse *sunt . . . possunt*: at non est adeo extra dubitationem positum, ut incorruptam aetatem solum prae se ferat, *sint . . . possint* ad deprauatum uocetur exemplar.

8. *Celtiberosae* uitio bis scriptum apud Priscianum non est cur Capro imputes. Nam is ut uersum in quo est *une* (XXXVII. 17) cum sequente in quo alter uocatiuus est *fili*, potuit coniunctim afferre, quo planius probaret id quod probaturus erat, ita priore solo uersu uti potuit. Sed ut ambos citauerit, ideone putabitur aut Celtiberosae aut Celtis perose, seu quid aliud docti alucinati sunt pro Cuniculosae legisse? Melius et Catullo et Capro credo consuluisse qui optimam lectionem seruauerunt nec metro repugnantem nec carentem ui sua, *Celtiberosae* illud uel Prisciano imputant uel iis qui Priscianum transcripserunt.

Caetera quae Behrensius allegat *supernata*, *molli rabidus*, *inpotente amore*, *albus an ater*, *ploxemi* melius sic legi quam quomodo in Catulli codicibus extant, quis negabit? sed quod corruptius tradita sunt in Catulli codicibus, hoc fit quod ex uno omnes fonte proueniunt, qui medii aevi barbariem multimodis expertus sit. An uere Behrensius sibi persuadebit omissam geminationem consonantium ad archaismi studiosos, non ad scribarum inscitiam referendum esse? Nihil opinor

## PRAEFATIO.

xi

tam magnum hinc sequitur. Non quo nulla nobis Veronensis ille codex tradiderit quae possint ad antiquitatem referri; uelut *ei pharsellus pilleatus Furei mei pro mihi*; sed cautissime tantum ingrediendum est in lubrico, ne quod barbaries intulit, uetustati assignetur.

Sed instat Behrensius dicitque Catullum qualis a Gellio traditus est et post Gellium isdem uitii laborare quae in nostris codicibus inueniuntur. Nihil hic dico de Gell. VI. 20. 6 de quo omnia incerta sunt. Sed XCII. 3 sic extat in Gellio *Quo signo quas in totidem ea*, in *O* sic *Quo signo quia sunt totidem ea*. Hinc quod *ea* pro *mea* in utrisque sit, 'id uitium iam tempore Gelliano insedissee' credit Behrensius. Ego quod excidit post *totidem* repetita littera *m* errori tribuo satis uulgato non Gellianorum, sed omnium temporum; quod *sint* apud Gellium est, non *sunt*, multo uerius mihi collecturus uideor aliter locum legisse Gellium, aliter qui codicem Veronensis exarauit. Sed nec in uerbis *alis equos* LXVI. 54 macula inest quam repetiuerit Hyginus, si modo repetiuit, P. A. II. 24 *hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere*; nec quae tradit scholiasta Bernensis ad G. IV. 289 (uide Prolegom. p. vii) satis certa emendatione nituntur: LXIV. 172 autem in quo tradendo consentiunt Macrobius et Catulli codices, uni Behrensi corruptus uidetur.

Haec si temerarie finxit, etiam intemperantius de me locutus est. Nam cum in tanta multitudine codicum quos exhibuit editio mea anni 1867 uix ac ne uix quidem abesse errores possent, Behrensius socordiae me arguit quod nonnulla ex *O* falso tradiderim. Inerantque sane uitia: quaedam neglexeram, nonnulla praecipue in priore parte carminum absens neque rursus inspecto codice impreseram; plura, ut minoris pretii, consulto praeterieram. Nonnunquam scripturae compendia quae in *O* sunt plurima neque eadem semper idem ualent aliter interpretatus sum ac nunc interpreto; in qua re ignoscet mihi qui sciet dubitasse etiam H. O. Coxium quem in dubiis locis interdum consului. Ne nunc quidem desunt quae incerta mihi quanquam saepius perpensa atque examinata uideantur; cuius rei exempla sunt *proferre* LXIV. 196, *praeram* (*praeam posteam*) LXIV. 11, et saepius repetitum *h* (*haec*) quod uere Behrensius uidetur ab *h* (*hoc*) discreuisse. Sed impudentissime idem mentitur cum dicit fere nullam paginam editionis meae a falsis de *O* testimoniis

liberam esse. Nam a LXIV. 284 ad CXVI. 8 h. e. in octoginta paginis uiginti octo errata numeravi, et ex his ipsis parui multa ne dicam nullius momenti, e. g. *hesterno fines Lycaonia ali' contempta flama* pro *esterno finis licaonia alli colēpta flāma*. Sed lectorem morari nolo in eis quae in hac noua editione emendata sunt: tantum dico etiam in Behrensii editione, quamuis praeter *O* unum *G* contulerit, omissa ex *O* nonnulla, nonnulla falso etiam ubi me corripbat, tradita fuisse; quae subicio.

- IV. 9. *sinīa O, non ut Behr. simā.*  
 XII. 9. *sui O, non ut Behr. sin.*  
 XXII. 20. *siuis O, quod neglexit Behr.*  
 XXV. 2. *moricula O, non ut Behr. moricilla.*  
 12. *inimica O, non ut Behr. iminica.*  
 XXXI. 14. *Ridere O, non ut Behr. Ridete.*  
 XXXV. 17. *docior O, non dotior.*  
 XXXVI. 1, 20. *Bis hic errauit Behr. Nam in 1 O habet suo lusi non suo uolusi, in 20 lusiꝝ non lusii.*  
 XXXVII. 3. *mentualas O, non ut Behr. mentuales.*  
 12. *quam (q̄) pro quantum O, quod neglexit Behr.*  
 XXXVIII. 5, 7. *alocucionis O, non allocutionis.*  
 XXXIX. 16. *risti O, non ut Behr. risu.*  
 XLIII. 7. *cōpantur O, non ut Behr. compantur.*  
 XLV. 1. *septimios O, non ut Behr. septinnos.*  
 21. *septumius uel septunuus O, non septimuus.*  
 XLVI. 1. *equi noctialis O, quod omisit Behr.*  
 L. 10. *sōnos O, non somnos.*  
 LIII. 5. *ḍsertum O.*  
 LVII. 9. *puellularum O, non puellularum.*  
 LXI. 57. *puellulam O, non puelulam.*  
 62. *Fāma O, quod neglexit Behr.*  
 LXII. 29. *uinxere O, non iunxere.*  
 28. *thiasis O, non thrasis.*  
 49. *magestates O, non ut Behr. magestatem: eodem modo scriptum est medullas LXVI. 23, C. 7.*  
 68. *minisī O, non ministra.*  
 87. *bumida O, quod neglexit Behr.*

## PRAEFATIO.

xiii

- LXIV. 33. oppl'etur *O*.  
 36. Grauinonisque *O*, non Graumonis.  
 62. *Pro* et magnis *habet O* q̄magnis.  
 86. conpexit *O*, non conspexit.  
 196. p̄fere *O*, quod sitne proferre an proferere *dubito*.  
 229. secles *O*.  
 280. quodcumque (q̄cumq̄) *O*.
- LXVI. 8. uertite *O*, *omisit Behr*.  
 14. exiuus *O*, non exuuiis.  
 62. eximie *O*, non exunie.
- LXVIII. 21. Tuñia *O*, non tu ñia.  
 36. ima an una *incertum*; *abest certe linea qua i denotatur*.  
 116. Heb'2 *O*, non Heb2.  
 90. efflauo *O*, non esflauo.  
 115. uite *O*, *potius quam uice*.
- LXXVI. 6. auicere *O*, non auiore.
- XCVII. 8. cōmis *O*, non cōnus.
- XCIX. 1. Iuuenti *potius mihi uisum est quam Uiuenti*.  
 10. saluua *O*.  
 14. ellebore *O*, *potius quam elleboro*.
- CIII. 3. ñimi *O*, non nūmi.

Ex his quaedam K. P. Schulzius occupauit; addiditque alia quae et me et Behrensium fefellerant (Hermes XIII. p. 50 sqq.)

Sed si quis mirabitur me tot codices etiam in hac editione adhibuisse, sciat me id consilio et diu perpensa re facere. Nam ut persuasum habeo errasse eum qui omnia in *GO* posuerit, ita quomodo id declararem non habui nisi prolato apparatu ampliore. Blandiatur ista simplicitas quibus breuia pro ueris, longa pro falsis habentur; nunquam ex me extorquebunt aut per *GO* solos ad principalem illum Veronensis rediri codicem, aut ex *G* caeteros praeter *O* omnes profluxisse, aut futilia esse ac uana quaecunq̄ue his discrepantia inueniantur. Qua in re Munroni me repugnare doleo; hic enim comparatis *G* et *O* Datanum cumque eo *a* impugnauit tanquam figmentis et interpolatione deformatos; meque arguit quod in commentario ad LXVII. 34 uerum suspicer esse quod est in *a* scriptum uice pro mee. Quid? Si



et *G* et *O* et uniuersi codices mee habent, solus *a* uice, idcircone corruptum hoc, illud unice uerum habebitur? Hoc ut euincas, statuendum erit Veronensis codicem (*V*) aut semel tantum aut eodem semper modo transcriptum fuisse. Quod nec per se ueri simile est nec condicioni superstitum librorum conuenit. Sed esto: fuerit semel tantum transcriptus *V*: at si ita exaratus est ut incertum relinquereur mee an uice exhiberet, satis habes causae cur inueniatur hodie utraque lectio. Nam fluctuasse librariorum et quae incerta erant modo ut potius credebant, scripsisse, modo apposuisse quod isdem litteris significari poterat, testis est ipse *O* in quo pauca tantum *διτρογραφούμενα* reperiuntur. Sed multo ueri similis fuit *V* compluriens fuisse transcriptum; hinc cum ab alio mee legeretur, ab alio uice, inualuisse mee quod Verone conuenire existumaretur. Idem ualet in LXIV. 249. Vbi cum *G* habeat tamen praepectans, *O* tñ prospectans, caeteri tamen aspectans Munroni necessario legendum uidetur tum prospectans. Ego quod contra Behrensium olim dixeram, idem Munroni respondeo: non tantum praestare *GO* caeteris ut in quod hi duo conspirant, id pro certo habeatur; cum *O* possit annum 1400 attingere, Bononiensis 1411 exaratus uideatur. Quod igitur habet *B*, quod caeteri fere omnes, non statim reiciendum, cum praesertim langueat tum, contra exquisitum sit tamen atque adeo seruatum in uniuersis.

Dicendum est etiam de ea re quam ut mihi sic Schwabio et Behrensi idem obiecit. Nam in editione priore Lachmannum secutus non ausus sum libros ita deserere ut uerba arbitrio meo reformarem et ad Vergilianorum librorum orthographiam reuocarem. Fecit id quidem Lucianus Muellerus in editione sua, scribendo *elegantius uest unumst notho's adlocutione inrigat ingenuos tuom immineat paruolus flauos adsiduos* et similia, nec dubito placitum me legentibus magis fuisse eadem licentia usum. Sed illud mihi proposueram non ut Catulli carmina ea scriptura ederem qua ipse poeta usus fuerat, sed ut quamuis corruptorum librorum inhaerens uestigiis si quid uerae uetustatis supererat conseruarem, caetera sic traderem quomodo in eis inueni. Ergo quod XXIII. 1 Furei, LXI. (225) bonei uocatiuos, XXVIII. 15 Romulei, LXI. (199) Africei, LXIII. 91 Dindymei, LXV. 14 Itylei genetiuos, habent, non ideo sic scripsi

semper, ubi nihil eiusmodi traditum esset: nec quod LXVI. 27 *adepta's* XXXV. 23 *solita's* uere uidentur ex *adeptus solitas* es elici, tutum sum ratus 's 'st semper pro es est inferre; nec quod XXIII. 1 *seruos*, LXI. 54 *nouos*, LXII. (60) *aequom*, LXVI. 54 *equos* Catulli aetatem referunt, uo pro uu constanter admisi. Cuius rei singulare exemplum erit nomen *Septimius*, nam XLV. 1 *Veronensis* codex uidetur habuisse *Septimios*, 21 *Septumius*, 23 *Septimio*, quae omnia sic ut tradita sunt seruauit, cum incertus essem quid potius Catullus scripturus fuerit. Qua in re et Schwabius mecum et Behrensius faciunt: licet hic quidem dum et antiqua studet reducere nec libros tamen deserit, ea ex horum uestigiis conatus est eruere quae nullo modo inesse potuerint. Velut ex *dii* LIII. 5 *dei* elicuit, ex *abiit adiit*, LXI. 192, LXIII. 74, *abeit adeit*, ex *silices sororum* LXIII. 5, LXIV. 290 *silicei sororei*, ex *proruit* LXXXVIII. 2 *prorit*, ex *scis* LXXVIII. 10 *seis* (atqui XXIX. 19 *sit scit* inter se confunduntur, idemque saepius notauit), ex *et* LIII. 1, LXI. 210 *ec*, quod si Lucilio uix satis tute illatum est, multo minus Catulli carminibus conuenit. Neque ex codicibus satis apparet cur *set domina domnia* idem intulerit; cum *sed* habeat etiam Thuanaeus LXII. (51), *domina* LXIII. 91 non magis metro repugnet quam *ubi capita* 23, *ibi maria* 48, *ego uiridis* 70; *domnia* autem quod coniecit pro *dum omnia* CXIV. 5 nulla probabili nec sensus nec prosodiae ratione nitatur. Haec ego ut nimis temere admissa arbitror, ita quaedam ipse in editione anni 1867 ad antiquum genus scribendi reuocaueram, ut LXVI. 14 *absumptei* ex *assumpta*, CXVI. 7 *amicti* ex *amicta*, XXII. 8 *derecta*, XXX. 6 *dice* ex *dico*, L. 1, 8 *Lucini* quod est in Datano, *haec* pro *hae* LXIV. 320, *mei* pro *mi* LXXII. 6, *sei* pro *seu* LXXVI. 21, *dolorei* 'st XCVI. 5 pro *dolorest*, XVII. 3, *acsuleis* pro *ac sulcis*, *sompno harena* LXIV. 57, 58. Haec et quaecumque erant huiusmodi cautius nec nisi praeuentibus libris scripseram. Ne Lachmannus quidem, credo, si Catullum suum ex *GO* edidisset, ita scripturae rationem mutaturus fuerat ut ex tenuioribus horum uestigiis Catulli manum ubiuis repraesentare conaretur. Itaque si cum Lachmanno Hauptio Schwabio Behrensio *nequicquam* constanter scripsi, feci id monentibus non *GO* solum sed omnibus libris quos contuleram: sed securius feci quia intellexi non malis auctoribus niti sic scriptum, quamuis post

Ritschelium nequicquam praeualuerit. Nam codex Mediceus Vergili non raro nequicquam habet a manu prima, et sic scriptum est aliquotiens in Palatino. Quod ideo monendum duxi ne quis barbaras uocabulorum formas me putet re iquisse; uere enim possum profiteri nihil me semper antiquius habuisse quam ut eiusmodi scabritiem fugerem quam longissime.

Fecit iniuria temporis ut quae prima Catulli carminum saeculo XIV facta uidetur mentio ab alio in lucem protracta sit, non ab eo qui primus repperit, Ingramo Bywater. Is enim, ut est uir immensi studii et omnis antiquitatis scrutator acerrimus, locos Hieremiae Iudicis de Montagnone quattuor quos in Proleg. p. X attuli iam anno 1870 mihi indicauit; cuius usus indicio ipse reliquos tres in Museo Britannico inueni. Hos postea Rudolfus Peiperus indagauit ediditque anno 1875, unde in Behrensii editionem peruenerunt. Sed nostri saeculi erat plura eiusmodi inquirere: quod in Catullo atque adeo in Propertio non factum esse miror ac maereo. Maioris enim duco uel unum uersum indicare qui ab aliquo citatus fuerit quam ex Martiale uel Seneca conicere quidnam hi imitati uideantur. Sed nescio quomodo *ἔχρος ἀφαιρον* hactenus uidemur secuti; adeo sunt parua quae inter Isidorum atque Hieremiam de Montagnone ex Catullo ducta comparent. Atqui nunquam plures tenuit hoc studium inuestigandi quid aeuo quod dicitur medio scriptum lectitatumne fuerit; ut uix dubitem esse aliquando emersurum quod hanc rem magis ponat in propatulo.

Quod superest commemorandi sunt qui me in hac opera adiuuerunt, inprimis H. O. Coxius quem saepius de Canoniciano 30, nonnunquam de aliis codicibus consului: cuius iudicium, etiam ubi a meo discreparet, religioni habui tacere, cum scirem paucissimis parem rei huius experientiam inesse: dein E. A. Bond et E. M. Thompso, curatores codicum MSS. Musei Britannici: G. N. du Rieu qui lectionem Gellianam mihi exscripsit: Nicolaus d' Anziani, hypobibliothecarius Laurentianae qui non modo Florentiae me agentem omni beneuolentia iuuit, sed nonnulla ex MSS. Mediceis et Riccardianis transmisit: quicum Ferrucii nostri infelicem obitum doleo. Tum agendae grates sunt A. Ceriani, praeposito bibliothecae Ambrosianae: Paulo Meyero qui locos quosdam Germanensis rogatus

## PRAEFATIO.

xvii

a me sedulo inspexit: Falconero Madan cuius uide adnotationem ad LXVI. 32: Adolfo Neubauero, Io. W. Nutt, Henrico G. Woods, Carolo Gore: denique adulescentibus optimae spei Sidneio G. Owen et A. Curtis Clark, Balliolensibus, qui indicem a sorore mea maiore confectum suppleuerunt correxeruntque. Sed ante omnes commemorandus erat Arturus Palmer, Dublinensis, cuius beneficio codicem quem Perusiae exarauit Pacificus Maximus poeta Latinus saeculi XV, post autem Cuiacius obtinuit et ab eo Iosephus Scaliger, primus hic totum exhibui. De quo si quis uolet plura edoceri quam huius operis fuit, legat quae de eo scripsimus in Hermathena III. pp. 124-158.

Dabam Kalendis Maiis a. MDCCLXXVIII.

## PRAEFATIO EDITIONIS PRIORIS.

OCTAVVS hic annus agitur ex quo Catulli edendi consilium suscepi. Sed primum commentarium scribere in animo fuit; mox cum comparatis cum Lachmanni editione codicibus quos in Bibliotheca Bodleiana et in Museo Britannico repperi, intellexerem ea quae Lachmannus suo more breuius praecepisset, *codices omnes non interpolatos cum alterutro eorum quos ipse exhiberet ubique consentire*, non adeo uera esse ut nihil noui posset adferri; praeterea a uero abhorreere paginarum numerationem archetypi, quale ab eo constitutum esset, quod idem ante me sensissent Heysius Rossbachius Boehmius alii; collatis etiam externis codicibus Catulli librum de nouo recognoscere statui. Accessit non minor stimulus quod duo uiri, qui in corrigendi arte summum inter nostros locum tenent, Ioannes Conington et Hugo A. I. Munro, suas iam mecum communicarant in Catullum emendationes. Itaque anno 1862 codicem Sangermanensem Parisiis, insequente Venetiis Mediolani Vicetiae Bononiae Florentiae Italos sex contuli; quibus subsidiis adiutus, mox et Vaticano et Colbertino, quorum alterum Fridericus Vmpfenbachius, hunc Claudius Cobham diligentissime pro me excusserant; postea autem alio quem in domo sua Thomas Phillipps inspec-

endum mihi praebuit; tum Thuanaei specimine quod humanissime pro me descripsit Gulielmus G. Markheim<sup>1</sup>; deinde Gualteri S. Landor emendationibus, quarum partem ipse ediderat, partem ad me misit amicus eius Robertus Browning, poeta illustrissimus; postremo Eduini Palmer Balliolensis, et Iacobi Mowat Cantabrigiensis observationibus et coniecturis; satis a me factum putavi ut librum sine commentario publici iuris facerem. Hoc eo libentius feci quod praepositis Typographeo Academico consilium meum cum relatum esset id et probauerunt et omni auxilio adiuuerunt; in primis H. O. Coxe et H. Latham, quibus utrisque summas grates ago habeoque. Neque ea tantum noua affero quae dixi; nam etiam editiones praesto fuerunt rarissimae, Princeps quae dicitur anno 1472, et quae uere est, incertum quo anno edita, quae utraeque in Bibliotheca Bodleiana asseruantur; Parmensis a. 1473; Alexandri Guarini a. 1521; postremo ea cuius unicum creditur extare exemplar id quod his diebus copiis Bibliothecae Bodleianae additum est, Hieronymi Auantii Cardinali Farnesio dedicata; ut uix cuiquam credam tot suppeditasse auxilia unde librum toties deprauatum uel emendaret ipse uel aliis emendandum relinqueret. Sed nescio quo pacto euenit ut in Catullo curam Anglus ante me uix unus et alter, Oxoniensis quidem nemo posuerit; Vossius enim cuius editio Catulli Londini prodiiit anno 1684, quanquam in Anglia aliquot annos egit, et canonicatum apud nos Vinsoriae obtinuit, Batauo patre ortus est; is autem qui Catullum edidit anno 1702, Cantabrigiensis uidetur fuisse et nomen suum libro non adiecit. Ego si quibus temerarius uidebor qui etiam post Lachmannum hoc susceperim—tantum enim Lachmanno in codicibus Catulli discernendistribuendum esse quantum ante eum nemini, nec quenquam quicquam in Catullo profecturum qui non in Lachmanno se stabilierit, hoc iam omnibus est pro explorato—his ideo me spero excusatum iri, non solum quod tot tam egregiis subsidiis rem aggrediar, sed etiam opibus adiutus typographeo quo nullum usquam aut typorum nitore ac pulchritudine aut opificum cura praestabilius habeatur.

Dabam Nonis Septembribus a. MDCCCLXVII.

<sup>1</sup> Nunc est socius collegii Reginensis apud Oxonienses.

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

THEODORO AVFRECHT | MVNVS QVALECVNQVE

## PROLEGOMENA.

CATVLLI Codicum, qui quidem nunc exsunt, tria sunt genera (1) Thuaeaeus (*T*), saeculo IX uel X scriptus, qui in florilegio carminum Latinorum habet c. LXII Catulli; (2) Datanus (*D*), anno 1463 scriptus, cum similibus sui Riccardiano, et hoc quem ipse in hac editione exhibui, *a*; (3) Germanensis (*G*), scriptus anno 1375, cuius in uniuersum similes sunt ceteri boni codices, Canonicianus 30 quem O signaui, Lachmanni *L*, Ambrosianus 38, Bononiensis, Colbertinus, Vaticanus (*ABC**V*). Horum generum duo posteriora a communi fonte deriuari omnibus constat: Thuaeaeum ne ipsum quidem origine diuersum esse, ex c. LXII demonstratur. Huius enim carminis post u. 32 eadem in *T* exciderunt quae in *DG*. Deinde corruptorum locorum in *DGT* similis quamquam non omnino eadem est ratio, e. g. u. 7 *imbres T*, *imber DG*, *ignes Catullus*, u. 45 *tum cara DGT*, *dum cara* Quintilianus IX. 3. 16; u. 58 *Cura uiro DGT*, *cara uiro* Catullus. Postremo, idem erat uersuum numerus in utraque pagina codicis eius unde *T* ductus est, et eius unde *DG*. Multis enim indicibus codices *DG* colliguntur ex paginis uel columnis descripti fuisse uersuum aut 16 aut 16 et 17 alternantium; quod idem cadit in *T*. Exciderunt enim in *T* LXII. 30, 62, in *DG* LXII. 14 *Nec mirum penitus quae tota mente laborant*. Excidunt autem uersus facilius in summa uel ima pagina. Si igitur summa uel ima pagina codicis eius unde *DGT* ducti sunt scriptus est u. 14, summa uel ima pagina scripti sunt etiam uu. 30, 62. Ab eodem igitur libro ducti sunt omnes *DGT*. Non tamen ab uno omnes descripti; sed *T* ut uidetur ab ipso, *DG* intercedente saltem uno exemplo, fortasse etiam pluribus. Hoc ex diuersitate colligitur lectionum; 7 *oeta eos T*, *hoc eos DG*; 9 *par est T*, *parent DG*; 12 *innupte T*, *innuptaeque DG*;

17 *nunc DG, non T; committite DG, conuertite T*; 20, 26 *quis T, qui DG*; 24 *credelius T, crudelius DG*; 26 *iucundior T, iocundior DG*; 28 *quae T, quo DG*; 35 *eospem T, eosdem DG*; 36 *ad lucet T, at libet DG*; 40 *conuolsus T, contusus DG*; 41 *quem mulcent aurae firmat DG, quacmulcens aurefirma T*; 42 *optauere T, optauere DG*; 50 *Nunquam se extollit numquam mitem educat DG, Numquam se extollit quam mun'leam ducat T*; 51 *deflectens DG, perfectens T*; 53 *acoluere T, coluere DG*; 60 *equom T, equo D*; 63 *Tertia patris pars est data tertia matri T, Tertia pars patri data, pars data tertia matri DG*.

Ex his pleraque nihil diuersi habent praeter orthographiam; quaedam sunt eiusmodi, ut ab eodem libro describi uix potuerint, ut *certes* .i. *certe, committite conuertite, conuolsus contusus, acoluere coluere*, nisi forte utramque lectionem habuit hic liber, quarum altera in Thuanaeum, altera in ceteros codices peruenit. Illud potius iudico; scribam aliquem ex iis qui eum descripserunt, haec aut ab alio libro in suum exemplar intulisse, aut per errorem immutasse. Quantum autem scribae errauerint, ipse Thuanaeus optime testatur. Cuius errores si accurate perpensi fuerint, facilius intellegetur qualis fuerit is unde et ipse Thuanaeus et ceteri deriuati sunt codices<sup>1</sup>. Itaque confunduntur in *T*

b, ps	memorapsile = memorabile
p, d	eospem = eosdem
p, t	apsi = atsi
s, t	mulcens = mulcent
tui, pu	tuignare = pugnare
e, u	credelius = crudelius
it, a	solit = sola
i, t	certes .i. = certest

Horum sunt quae ad maiores literas referenda uidentur; ut *memo-rapsile* ex confusis B, B̄, *eospem* ex PD, APSI ex TP; cetera ex minusculis prouenerunt. Vnde mixtae uidentur fuisse maiores minoresque literae; quod confirmant etiam reliqui codices, praecipue Datanus. Hic enim codex quamquam exeunte saeculo XV scriptus,










<sup>1</sup> Non dico archetypon, quod ipsum paginis 16 uersuum, (ut postea demonstrare conabor,) sed nullis omissis uersibus descriptum est. Contra in eo unde orti sunt DGT nonnulla certe exciderant post u. 32.



## PROLEGOMENA.

iii

uestigia prae se fert noni uel decimi saeculi. Disputauit de his Froehnerus in *Philologo* XIV. 578, unde paginam transcribendam curauit.

D E P H A S E L O . I I I <sup>↑</sup>  
 A D F L A V I V M . V . <sup>↑</sup>   
 A D . S E . I P V M . V I I <sup>↑</sup>   
 A D . V E R T I M N I V M . V I I <sup>↑</sup>  
 A D F V R I V M A V R E L I V M . V I I I <sup>↑</sup>   
 A D F A B V L L V M . X I <sup>↑</sup>   
 A D . C A L V V M P O E T A M . X I I <sup>↑</sup>   
 A D . V A R V M . X V <sup>↑</sup>   
 A D . T A L L V M . X V I I <sup>↑</sup>   
 A D I P S I C I L L A M . X I I I <sup>↑</sup>   
 C A R M E N D I A N E . X X <sup>↑</sup> 

Haec titulos exhibet carminum, quales in *D* reperiuntur. Forma literarum satis antiqua ad X certe saeculum, fortasse ad IX refertur. Id demonstrant apertiores A V R B, C in dextram curuata atque erecta, F in dextram insurgens, N linea recta et propiore literae H non ut plerumque a summa sinistra ad imam dextram ducta in transversum, e denique minuscula iuncta magnae (E). Idem etiam ex permutatis in Datano literis intellegitur. Permutantur autem hae

- e, a dicabis cassi detinat aripuisti Cybales alacras = dicebas cess detinet eripuisti Cybeles alacres; dee pinee perit legerat telis suscitet = dea pinea parit legarat talis suscitatur. Sic Theleamacho ex scriptura, ut uidetur, ortum, quae Thelamacho an Thelamacho esset in incerto fuit.
- o, a Pasiteo tergo delapso tanto = Pasithea terga delapsa tanta; tua nulla tota obrupto = tuo nullo toto abructo.
- u, a diualso bonam uoltarium buttriade = diuulso bonum uulturium battriade.


- e, o cares ueta = caros uota, Penolopeo deomum = Penelopeo domum.  
 u, o clarissimas (clarissunas) indibus = clarissonas in dubios.  
 s, t reuisēs refulgens mittis facis = reuisent refulgent mittet facit.  
 r, i rudiit = inbuit.  
 d, b rudiit = inbuit, ibidem = indidem.  
 it, a solit (*T*) hilaritate (*D*) = sola hilarate; scriptum fuerat hilarate, tum scriba incertus a an it esset a superscriptit; hilaritte, mox utraeque coniunctae hilaritate effecerunt.

Quae secuntur omnium codicum sunt communia.


- c, e oeticos Canopieis ac sulcis = aeeteos canopieis acsuleis; mina ei = minaci.  
 o, u populus popula = pupulus pupula.  
 oc, a alocrisea = alarisea.  
 co, a **moenu** conciliis indecor alcos uelle que tot = moenia ancillis uidear golgos uelle queat.  
 p, r portaret = praeoptaret.  
 p, c septam ereptum = sectam erect(e)um; erectis subrecti = ereptis subrep(s)ti.  
 p, n precernens = precerpens.  
 x, s dextitit nox extuante axis = destitit nos estuante asis; ansia praetestate sassea dissimus = anxia praetextate sassea diximus.  
 cl, d oradum sedis = oraclum, seclis.  
 t, r euitastis spetare uestet Matrucine curtam detecta tuentes turis Artius = euirastis sperare uester Marrucine curram directa ruentes ruris Arrius; Atris Batriade = Attis Battiade.

Suspiciatus est Scaliger exemplar Catulli unde nostri codices deriuati sunt, Langobardicis literis scriptum fuisse; nec desunt quae huic sententiae conueniant. Nam Langobardice oc = a, e = c, l = t et i, t = r, ut mutari inter se possent l, i, r, t; sic **o** Langobardice = ci, quam credo originem esse corruptelae (LXVIII. 81) deficeret = defideret (*D*). Praeterea plurima sunt contractionis signa in codicibus Langobardice scriptis, ut stabil' = stabilis; uid<sub>3</sub> = uidet; arte' = artem. Interdum etiam additur ' nulla significata litera, ut *dolor'*

## SCRIPTURAE MEROVINGICAE SPECIMINA



Repulsis aliquando in Rauennati urbe sollicit cum psalterii caelestis animarum mella gustassem immersi ut dicta salutaria suauiter inberem po obscuritas quae uariis est intexta personis et ue praeteritur dum sepe illud repperiri solet ambig



Memini me ante hoc ferme quinquenn sanctae blesillae legerim ut eam ad contemp in mundo cerneret putaret esse pro nihilo roq

## DVO EX BASTARDI ICONIBVS DESVMPTA.

o Intra uerna turbe sollicitudi  
 & curis saecularis noxio sapore  
 xpi caelestis. amarum mellic  
 solent. desiderantes efficere audi  
 or immensi. Uadica salu tagna  
 saecum amarissimas actiones. Sed fami  
 liria obscuritas. quae ueris gra  
 ilata parabolis. Haec in dictis  
 mulatione praedantur dum saepe  
 ambiguum.

situdinibus dignitatum et curis saecularibus noxio sapore conditis  
 em Id quod solent desiderantes efficere audire me perscrutator  
 post amarissimas actiones. Sed familiaris inchoantibus occurrit  
 uelata parabolis. Haec in dictis uitalibus noxia dissimulatione  
 iguum.

## ORATIO

IME ANTE HOC FER  
 EQUENIUM cum adhuc no  
 & desiderantes saeculo blesille  
 n uita ad con tondis aut  
 mouerant. & omne quod  
 do conueniunt ut in dicit  
 ab ecclesia in more commenda

annium cum adhuc Romae essem ecclesiasten  
 mptum istius saeculi prouocarem et omne quod  
 rogatum ab ea ut in morem commenda.

## PROLEGOMENA.

v

*uidentur*; et sic in Catulli codice unde nostri orti sunt scriptum fortasse fuerat *Castor*, *uer* *uera*, quae scribae parum intellecta *Castorum uerum uera* interpretati sunt. Fortasse etiam huc spectat amissa toties in uerbis t finalis. Quom enim Langobardice a per oc scribatur, t autem per a, si coniuncte legerentur ut in uocabulo *pruriat*, facile poterat ultima a excidere, confusis ob similitudinem literis. Quamquam illud non huc quadrat, quod in Catulli codicibus aut raro aut nunquam t in a corrupta est. Nec Langobardicis literis congruunt confusae toties, a, e; a, u; a, it; t, p; p, r; p, n; quae omnia Merouingicae potius scripturae assignanda iudico, ut ex tabulis apparebit quas in libris suis exhibuerunt Bastardus et Siluester. Quod dedi specimen ex Bastardi Iconibus sumpsit. Est autem saec. VIII.

Hic

ε	α	= a	
δ	δ	= e	
	ff	= s	
τ	q	q	= T
	ɾ	ɾ	= r
	η	η	= n
τ	ϕ	ϕ	= t
α	α	= t.	<i>ελιτρωσ</i>

Haec ualde ad propositam pertinere de codice quaestionem unde nostri ducti sunt nulli credo esse dubium. Sic enim explicabitur P cum T permutata, e cum a, o; a cum e, o, u, co; it cum a, ta, ut in *prosilta* (D) = *profilita*; ʒ cum b. Froehnerus quidem, quem honoris causa nomino, literis Anglo-Saxonicis uel Hibernicis scriptum codicem opinatus est; quae sententia et ipsa multa habet unde commendetur, primum similitudinem literarum, (uide Siluestris Palaeograph. Uniuers. Part. III) deinde literae Latinae Hibernis a sexto usque post Christum saeculo notae lectitataeque sunt: postremo apte de Britannia uel Hibernia dicturus erat scriptor Epigrammatis Catulli codicibus praefixi 'Ad patriam uenio *longis de finibus* exul.' Sed tamen plura meo iudicio sunt quae Merouingicae scripturae possint quam quae Saxonum uel Hibernorum tribui. Et nusquam magis quam in Gallia Romanorum post quartum saeculum florebant literae. Gallia saltem scriptum fuisse Thuanaeum codicem inde ueri simile est quod alter codex quem eadem habuisse quae Thuanaeus coniecit

Cambridge University Press  
 978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
 Edited by Robinson Ellis  
 Frontmatter  
[More information](#)

Hauptius, ipse prope Lugdunum in insula Sanctae Barbarae a Sannazario repertus est. Huius codicis quae antiquissima pars est membranis constat undeiginti, ut Hauptio uidetur saeculo nono non inferioribus. Insunt carmina Eucheriae, Halieutica Ouidi, epigramma Apollinaris Sidonii, Cynegetica Gratii, Martialis aliquot epigrammata. Carmen Eucheriae, Halieutica, Cynegetica eodem ordine se excipiunt in Thuaeao: unde Hauptius integrum librum Sannazarianum eadem cum hoc non immerito collegit habuisse. Ipse Thuaeus nihil habet a Gallico scriptore profectum. Eugenius enim, cuius opuscula post Iuuenalis satiras, intercedente epitaphio, illic leguntur, Toletanorum in Hispania Episcopus fuit. Sed Cynegeticon Nemesiani qui unus multis saeculis mentionem facit, Hincmarus, Episcopus Remensis<sup>1</sup>, hic et ipse Gallus fuit, et cum aliis pueris ea in scola legerat (Haupt. Quaest. Cat. p. 3). Nec a uero abhorret florilegia haec, dico libros Thuaeum et Sannazarianum in usum puerorum Gallicorum scripta fuisse<sup>2</sup>. Et Thuaeus quidem VII saeculo medio prior non potest esse; Eugenius enim episcopus fuit Toletanorum circa 650. Sed nihil hinc concluditur de codice unde Catulli c. LXII descriptum est. Si uero recte de literis Meroingicis diximus, is saeculo sexto uel septimo scribi potuit.

Post Isidorum Hispalensem qui c. I. 1-2 Catulli affert in Origg. VI. 12, fortasse ex Grammaticorum aliquo, et LXIV. 65, quem uersum Cinnae tribuit<sup>3</sup>, neminem<sup>4</sup> scimus qui Catullum legerit ante

<sup>1</sup> Ad Hincmarum Episcopum Laudunensem cap. 24 (Haupt. p. 42 Gratii et Nemesiani). *Tuis compilationibus confuso (? confusis) et sicut ipse dixisti prae-postero ordine positae et nunquam in eodem statu manentibus aliter respondere non potui, nisi, ut uenatores ferae lustra sequentes agere audire et lectione puer scolarius in libro qui inscribitur Kynegeton Carthaginiensis Aurelii didici, hac illacque discurrendo retrograda etiam uestigia rependo, in fractus tuos uestigando explicare studeam: quod adhuc mihi erit necessarium facere et in explicanda de inceptis ratione et in ostendenda causali actione de his quae admisisti et pro quibus tibi et ecclesiae tibi commissae scripsi, contra quae irregulariter subscriptionem, quin potius tuam nouam praesumptionem adiens mille uias tristesque labores discursusque citos securi proelia ruris et sincero corde lites domesticae subire compellar.*

<sup>2</sup> Haupt. Quaest. Catull. p. 3.

<sup>3</sup> Hauptius (Quaest. Catull. p. 92) putat Isidorum Catullum respicere in libro *De Differentiis Sermonis t. V. p. 63* Areu. *Sacrum duo significat et bonum et malum. Bonum, ut illud 'Inter flumina nota et fontis sacros; malum ut 'Auri sacra fames' et 'Sacrae panduntur portae' et 'Leno sacer' et 'Sacer hircus.'* Cf. Cat. LXXI. 1 *Si quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus.* Ad Georg. II. 395 *Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram* certe non pertinent ut Froehlichius et Schwabius putant; sacer enim hic est qui in sacrificio caeditur. Sed nimis incerta est scriptura uersus Catulli, codices

Cambridge University Press  
 978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
 Edited by Robinson Ellis  
 Frontmatter  
[More information](#)

Versus Domini Beneuenti de Campexanis de Vicencia de  
 resurrectione Catulli poetae Veronensis.

Ad patriam uenio longis a finibus exul,  
 Causa mei reditus compatriota fuit.  
 Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen;  
 Quique notat turbae praetereuntis iter.  
 Quo licet ingenio uestrum celebrate Catullum,       5  
 Quoius sub modio clausa papyrus erat.

*De hoc epigrammate dixi in Prolegomenis, pp. xii–xv. Extat in fine Germanensis, (ubi praefixa sunt uerba Versus—Veronensis,) Hamburgensis, Harleiani<sup>1</sup> (b) et eius quem in hac editione uocaui c; habent id in initio Bononiensis, Laurentianus<sup>1</sup>, Vaticanus (BLA<sup>1</sup>V), codex Alani quem Cuiacianum habeo, duo codices Musei Britannici (a, b), tres Parisini (7989, 8233, 7990). In V dicitur Epitaphium Catulli; in Parisino 7989 Versus Catulli prohemiales; Parisinus 7990 editio habita Parisina saec. XV et editio Princeps 1472 praefixum habent Hextichum Guarini Veronensis Oratoris clarissimi in libellum Valerii Catulli eius conciuus.*

1. redeo Cuiacianus teste Scaligero et codex Alani resurrectione G  
 poete G de finibus b, ed. Pr. erroribus c, sed habet a finibus in  
 margine.

2. redditus H.

3. Silicet V.

4. cursum c, Cuiacianus teste Scaligero et codex Alani. Idem malebat  
 Naekius.

5. Quo libet marg. b celebrare Hab reuocate marg. c, Cuiacianus  
 teste Scal. et codex Alani

6. Quoius Cuiacianus teste Scal. et codex Alani, b ed. Pr. ed saec. XV.  
 cuius cett. medio hab in medio H causa b papyrus BVA.

Cambridge University Press  
978-1-108-01273-7 - Catulli Veronensis Liber  
Edited by Robinson Ellis  
Frontmatter  
[More information](#)

---

*Quae rubris literis impressa sunt ea ex comparatis omnium codicum lectionibus in eo fuisse colliguntur codice unde qui extant omnes praeter Thuanacum uidentur profuxisse: ita tamen ut incertum relinquatur ditto-graphiae quales sunt <sup>al. basla</sup> basiei <sup>al. carta</sup> et certa in principali illo codice fuerint an ex dubitatione ortae eorum qui hunc nondum finito saec. xiv transcripserunt.*